

tus, seu partitur ratione symbolorum; in quorum diuisione unitatem seruat substantiae, vt colligitur ex cap. II. Actor. vbi recensetur multitudo linguarum, et vnus Spiritus. Demum in Epistola ad Thessal. I. cap. 5. hortamur ne extingatur Spiritus, posito per Metonymiam nomine personae pro re effecta, idque proprissima comparatione, quum Spiritus in forma ignis descenderit.

Ultimi argumenti haec sit solutio: si Spiritus Sanctus est a duobus, vt contra nos argumentantur haeretici, atque verissimum est, et stabilitum, ipsos intererit rationem reddere, cur vnus tantum in Deitate sit Pater, et vnus tantum Filius: Filius enim est ab vno Patre, et ab eo gignitur immediate. Si ergo Spiritus Sanctus est a Patre, et Filio, siue a Patre per Filium, non erit Filius Filii, quia procedit etiam a Patre: non erit Filius Patris, quia procedit per Filium. Quod placet exponere verbis S. Augustini (24): » vtcumque, » ait, etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus, quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris et Matris. Absit autem, vt inter Deum Patrem, et Deum Filium aliquid tale suspicemur. Hanc modo probamus rationem, qua Wolzogenii argumentum omnino frangitur: inferius vero et istam et reliquas in examen vocabimus ad definiendum (si nempe id definiti potest), quid inter Verbi generationem, et Spiritus Sancti processionem intersit.

Et haec de argumentorum, quae aduersus Spiritus Sancti diuinitatem praecipue virgent Haeretici, solutione, ac de toto hoc cap.

(24) In Lib. xv. de Trinitate, cap. 27.

CAPVT VIII.

De Patrum, Ante-nicaenorum praesertim, Fide iudicium fertur: cum Graecorum, tum Latinorum.

Martyr Ignatius, Iustinus, Athenagoras, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Dionysius Alexand. et Basilius, non nisi impudentissime insimulantur vt Ariani.

Originem Ariani fauisse probabilius existimamus: contrarium de Tertulliano opinamur.

Eusebii Pamphili fides adhuc in ambiguo pendet.

De Liberio varie opinantur eruditi.

Circa Hosii lapsum laudabile nobis videtur Card. Aguirre consilium.

Ab omnium vetustissimo, S. nimirum Martyre Ignatio, Antiochanae Ecclesiae tertio a Beato Petro Episcopo orsi, vt exploratum habemus, septem eius Epistolas, scilicet ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Smirnaeos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Polycarpum, quas ex antiquissimis Anglicanis codicibus Vsserius, deinde ex Florentino Isaacius Vossius restituerunt, assutisque contra probatissimorum codicum laciniis decurtarunt, legitimum tanti Martyris foetum esse, ducti auctoritate non antiquorum solum, qui non multum ab Ignatii aere abfuerunt, sed et inter Haereticos celebriorum, Vsserii, Hammondi, vtriusque Vosii, Cauci, Bulli, Clerici, Pearsonii: a quo praesertim, Natalis Alexander, Dupinius, Annatus, alique pleraque sunt mutuati, quibus aduersus Salmasium, Blondellum, et Dallacum haereticos Presbyterianos hunc Martyri Sanctissimo foetum adsererent, ac vindicarent; atque huic opinioni subscripturos iudicamus quotquot praeciuiciis non laborant.

In his autem Epistolis quid haeresi Arianae vel minimum affine, quid non catholicae doctrinae apprime consonum? Aperissime quidem

dem in eis Verbi diuinitatem tradi, testimonio apud Theologos notissimo ex Epistola ad Ephesios desumpto conuincitur. Est huiusmodi: » vnus medicus est carnalis, et spiritalis, factus, et non factus, in carne Deus, in morte vita vera«, cet. Conuincitur etiam vera Christi Deitas ex alio Epistolae ad Magnesianos, quod sic habet: » non enim aliquid coaeternum Patri, quod non est naturaliter ex ipso, ne etiam istud inesse creaturis dicamus, quod inest soli diuinæ naturæ: quamobrem etsi Filius principium habet Patrem suum; tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens existentiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiali, id aduentitium non est in tempore, ne et Pater ipse talis reperiatur«. Quid luculentius et firmius hisce duobus testimoniis adduci vnquam poterit ad adserendam Verbi diuinitatem contra Arianos, et eiusdem Deitatem, aeternitatemque contra Socinianos?

Ignatium excipit Iustinus Philosophus, et Martyr; quem liquido diuini Verbi diuinitatem et adfirmasse, et credidisse his momentis demonstratum credimus. In Apologia, quæ prima dicitur, Iustinus tribuit dissertissime Filio aeternitatem, his verbis: » porro Filius eius, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens, et nascens: quoniam priuitus per cum cuncta condidit, et ornauit«. Quibus verbis nefaria hæresis Arii iugulatur. Nam si Verbum æternum est, vniuersamque creaturam præcedit, non est profecto quid creatum. Item in Dialogo cum Tryphone docet, Verbum genitum esse a Patre ante creaturas omnes, non per naturæ abscissionem, quo pacto generatio humana contingit, sed eiusdem participatione naturæ, adducta comparatione ignis, ex quo nullatenus imminuto accenditur alter. » Primitus, inquit, ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem quamdam rationalem . . . non per resectionem, tamquam dispartita esset Patris essentia, prout alia omnia, diuisa et secta«, cet. Deinde in Apologia, vt dicunt, secunda probat, nos plurium Deorum expertes, quoniam non doemones, vt cultores simulacrorum, sed vnum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum adoramus. Haec sunt verba: » fatemur, nos talium Deorum esse expertes, et atheos; sed non verissime illius Dei Patris, videlicet, iustitiæ, et castitatis, et virtutum aliarum, et ab omnis vitii mixtione, et labæ alieni, expertes: verum hunc ipsum, et qui ab eo venit, (atque

» nos

» nos ista, et aliorum famulantium, assimilatorumque bonorum Angelorum exercitum docuit) Filium et Spiritum Sanctum colimus, et adoramus«. Ex quibus sic ratiocinari præstat. Sententia catholica est, Verbum non esse productum, creatumque, sed æternum, et ante quascumque creaturas a Patre nascens: genitum item, non paternæ abscissione substantiæ, sed eiusdem communicatione naturæ: eodem latriæ cultu esse cum Patre ac Spiritu Sancto adorandum. At Martyr Iustinus omnia hæc expresse, vt vidimus, profiteretur: tenet itaque veram catholicorum de Verbi diuinitate sententiam.

A Iustino autem ad Athenagoram Atheniensem Philosophum, insignem pro Christianis Apologiæ auctorem transitum facimus; quæ in Arii ac Sabelli Patronis numerare non nisi impudentissime posse, sic suademus. Qui enim Filii substantiam non ex nihilo productam, sed a Patris substantia egressam ponit, atque vtriusque hypostasim distinctam statuit, neque Arianis, neque Sabellianis dicendus est fauere, sed catholicis vndeunque consentire: ita Athenagoras ponit, statuitque: siquidem docet Patrem, et Filium esse vnum, Filium esse Mentem, et Verbum Patris, Mentem, Verbumque ipsum Deum. Ipsius verba adducamus: » Filius Dei, inquit, et Verbum Patris in idea, et efficacia: ab ipso enim, et per ipsum facta sunt omnia, cum Pater et Filius vnum sint, ita vt Filius sit in Patre, et Pater in Filio per vniõnem et potentiam Spiritus, siquidem Mens, et Verbum Dei Filius Dei est. Primigenia hic est Patris progenies, quæ non est facta: a principio enim Deus, qui est Mens æterna, ipse in se ipso *λογος*, hoc est, Verbum, et rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit, sed et rerum cunctarum idem, et perfectio foret, progressa est«. In his ergo adserit aperissime Verbum a Patre genitum, quia ab æterno Pater ratione præditus est: adserit quoque esse essentia a Patre indistinctum, quoniam Deus essentialiter Mens est æterna, habens in se rationem, et Verbum: adserit demum esse omnium creaturarum causam effectricem, demonstratque arctissimam diuinarum personarum coniunctionem, qua vna in alia per *circuminessionem* existit. Sed et aliunde Athenagoras pellit a se Atheisim calumniam, quod Christiani vnum Deum in Trinitate consistentem agnoscant: ait enim: » Quis igitur non miretur, cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, eorum in vnitæ virtutem, et in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari? « Ex his autem

tem sequitur apertissime toto Coelo ab errore Sabellianorum distare etiam eloquentissimum Apologistam, quum tradat Filium esse genitum, et progressum a Patre, et ordine, et relatione vnum ab alio distingui: ideoque Filio tribuit propriam et peculiarem hypostasim.

Irenaeus deinde Lugdunensium Episcopus in quinque, quos contra haereses libros scripsit, tantum abest vt Arianismi semina iecerit, quin in eis Verbi diuinitatem egregie propugnasse nobis demonstrare facillimum credamus. Argumenta vero, quibus id consequi speramus, sunt haec: Irenaeus profitetur in Christo et veram, propriamque naturam humanam, et veram item, propriamque naturam diuinam. Lib. enim III. cap. 21. ait: »est autem ipse proprie »Deus et Dominus«: Lib. dein IV. cap. 14. »Ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus »est«. At nemo dixerit per Irenaeum Christum non esse verum hominem: neque ergo debet quis opinari per Irenaeum Christum non esse verum Deum.

Deinde: iuxta Irenaei doctrinam Filius apparuit Mosi, Filius ipse dedit legis dispositionem, Filius Patres conuocauit, eundemque appellant Sacrae-literae Deum, ac Dominum: at iuxta eiusdem Irenaei doctrinam, qui Mosi apparuit, legem dedit, elegitque Patriarchas, nemo alius est, quam Deus supremus, et vnus, praeter quem alius Deus non est: est ergo Irenaei sententia, Filium esse Deum illum, vnum, verum, ac summum. Sic enim loquitur Lib. III. cap. 15. »Cum declaratum »sit, quoniam neminem alium Deum vocauerunt, nisi solum verum »Deum Patrem, et Verbum eius, qui in omnibus principatum habet »manifeste est ostensum Factorem Coeli, et terrae, qui loquutus sit »cum Mose, et legis dispositionem ei dederit, qui conuocauerit Patres, Dominum Deum confiteri eos, et alterum neminem nosse«.

Tandem, Irenaeus docet hominem peccando legem veri ac summi Dei transgredi: docet insuper illum in quem peccant homines, Christum esse: docet ergo Christum esse verum ac summum Deum. Accedit, quod in Lib. V. cap. 4. Christi Deitatem ex eo Irenaeus infert, quod Paralitico dixit, »remittuntur tibi peccata«, quod nemo praestare hoc possit, nisi solus Deus. Quid ergo Irenaeus eum Arianis, Socinianis?

Sed et iniuste etiam Clemens Alexandrinus insinuat vt Arianus. Apertissima sunt ipsius testimonia, cum in Libris Stromatum, tum in adhortatione ad Gentes, et in libris Paedagogi. Nam in lib. VII.

Stro

Stromatum probat Christum esse Dominum vniuersorum, »quia »vnum principium est«, a quo pendent creata quaelibet; quia »sine principio genitus, et impatibilis est«; quia »Patris sapientia, »ac potestas, cuiuscumque ignorationis incapax, quae Deum non »tangit«; quia »summum bonum per se amabile, omnia ad sui contemplationem adducens«. In Lib. etiam I. Paedagogi cap. 2. Dei Verbum Paedagogum esse, id est, veritatis Magistrum, ac puerorum, qui sumus nos ipsi, Doctorem, et Institutorem, »quod in eum dumtaxat nullum omnino cadere potest peccatum, ac est animo impatibilis, nullique affinis reprehensioni«. Hoc vero vnius supremi Dei ita proprium est, vt nulli rei creatae possit attribui.

In adhortatione demum ad Gentes de Verbo scribit: »quod »vera est Deus manifestissimus, fons viuificus, et pacificus, qui »per vniuersam terrae faciem diffunditur; per quem effecta sunt »omnia«, cet. Poterunt autem pro summa Filii Dei Deitate adstruenda proferri clariora his, quae Clemens protulit? Addamus nihilominus argumentum hocce negatiuum, sed minime adspiciendum: nunquam Arius, neque alius vllus Arianorum verbum vel minimum ex Clementis scriptis desumere, vt catholicum de Verbi diuinitate dogma oppugnarent: quod nedum ex Ruffino (1), sed etiam ex Patribus singulis, qui in refellendis haeticorum illorum argumentis sunt versati, constat. Quis autem non credat, minutissima quaeque verba eos in medium producturos, si a Clemente scripta fuissent? Nihil itaque tale in eius operibus inuenitur, quod Arianismum sapiat.

Explodamus modo paucis insigne Socinianorum de Athanasii sententia hallucinationem, atque ex Oratione I. contra Arianos argumentum decretorium adducamus: »nos quidem, ait n. 9., ex diuinis Scripturis libere et confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam tamquam lucernam super candelabrum collocantes, dicimus: Filius verus natura, et genuinus est Patris, eiusque substantiae proprius, Sapientia vnigenita, Verbum verum, ac vnicum ipse est Dei, non res creata, vel facta, sed proprius substantiae Patris foetus. Quocirca Deus est verus, verumque Deo consubstantialis existit«. Hanc piam, rectamque fidem hisce verbis expressam confirmat vbique Beatissimus Athanasius: quo nemo constantius, ac validius, tutatus est; neque scriptis solum, sed maximis laboribus perperis. Quinque siquidem in exilium missus, vixit in Episcopatu

Tom. I.

Nn

per

(1) In Origenis Apologia.

per annos sex et quadraginta, quin ad horam illi Arianorum furor parceret, ac proinde in Martyrio non interrupto, vt loquitur Ecclesiasticae historiae Scriptor quidam clarissimus. Qua igitur iniuria, atque impudentia Athanasius Arianismi, et Socinianismi insimulatur, luculentissime demonstratum est.

Ad Dionysii autem Alexandriae Episcopi vindicias quod attinet, rerum gestarum ordine seruato, haud difficile negotium est: auscultandum itaque magno Athanasio nuper laudato, qui specialem de reecta Dionysii fide edidit librum, ex quo, qui sinceram rei gestae seriem delibabit, persuasum nullo negotio habebit, immerito tantum virum vocatum in crimen. Sic vero res habet: quum quidam superioris Libiae Episcopi pestilentissimum Sabellii errorem fuissent amplexi, vt eos a praua hac sententia deduceret, primum Dionysius per Legatos cum illis egit: quod quum ad votum non cecisset, ad eorum retundendam improbitatem litteras ad eos dedit, in quibus totus est, vt veram Christi Domini humanitatem testimonijs Euangelicis probet; conficiaturque, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem factum; quo possit, demonstrata satis Patris, Filiique distinctione, errantes ad veram Filii Deitatem credendam sensim adducere. Ex his Dionysii litteris, quas errore omni expertes esse fatendum est, nisi et errasse Petrum, Paullum et Stephanum quis velit, qui, vt ex Apost. Actib. patet, priusquam de vera Christi Deitate sermonem facerent, verum illum esse Messiam Abrahae semini promissum, generisque humani reparatorem, Prophetarum oculis comprobauerunt, capta ab aduersarijs ansa est ad struendam Dionysio calumniam, quod nempe, Christum non semper fuisse scripsisset, et Patrem aliquando sine Filio nominasset, quod Filium ex substantia Patris genitum non adfirmasset, sed illum a Patre conditum. Hinc delatum eius nomen ad Dionysium Romanum Pontificem: quam obrem coactus est apologiam edere, in qua tria coniectae in se criminationis capita nruosissime depulit. Priorem itaque accusationem emoluit est, scribens, se de Christo vt homine fuisse loquutum, vt ostenderet ex Incarnationis Mysterio diuinas Personas reapse distinctas esse: id quod susceptum aduersus Socinianos institutum postulabat. Attendendum ergo in re ista erat ad suarum litterarum scopum, quando scilicet, ad quos, et cuius erroris refutandi gratia datae: nam et agricolae ipsi pro varia soli, quod excolunt, indole arbores curare solent, ita vt vniam inserant, aliam amputent,

quas.

quasdam etiam euellant: tamen nomina Patris, et Filii inseparabilia Dionysius profitetur, et Verbum Genitori suo semper coexitisse.

Aliam accusationis partem excussit obtestans, se dum Filium a Patris substantia genitum non dixit, de sola Christi humanitate loquantum, quam e Patris substantia genitam nemo dixerit: neque aliud tunc sibi propositum: atque argumento esse ait, quae adducit exempla, agricolae scilicet et vitis, fabricatoris et naui, quorum prius in Euangelio Christus ipse usurpauit, quo suam demonstraret humanitatem. Tertiam denique accusationem profligauit adseuerans, eo se, dum Verbum a Patre conditum dixit, vnice spectasse, vt demonstraret assumtum a Verbo corpus non a Patre, vt Sabellius, sed a Filio factum et conditum, ideoque Filium, qua homo est, conditum, sacrumque censi: ita se tamen ad probandam veram Patris et Filii distinctionem comparationibus a radice et planta, fonte et fluuio petitis vsu fuisse, vt eorundem naturae vnitatem nec minimum violaret.

Haec historica narratio, per epitomen contexta ex his quae Athanasius fuse dixit, tria apertissime infert: horum primum sit, quod dogma de Verbi diuinitate per tertium Ecclesiae saeculum vbique obtinuit. Secundum, sententiam Dionysii ex praefatae Apologiae libris esse praecipue petendam. Tertium denique (et quod caput est ceterorum) Dionysium rectissime de Verbi diuinitate sensisse, aeternamque verberare quotquot illum accusant.

Iam vero ad Magnum Basiliam veniamus, eamque Catholicam de Verbi diuinitate fidem numquam violasse, quidquid ipsius calumniatores obgiant, demonstremus. Et primo quidem ex genuinis ipsius Basilii scriptis. Quid enim eo disertius, quod Hom. xvii. contra Sabellianos ait? » Neque Trinitas, inquit, manet detracto » Spiritu: et si vnum aliquid ex creaturis adiungatur, vniuersa creatura simul introducetur, et Patri Filioque annumerabitur. » Quid et eo quod habet Epist. ix. in qua quum docuisset, nihil de Spiritu Sancto Nicaenam Synodum definiisse, propterea quod nondum Deitatis eius hostes erupissent, subdit: » nihil prorsus in diuina ac beata Trinitate creatum inuenitur. Verum et occurrunt disertissima alia momenta in lib. iii. aduersus Eunomium, in pluribus aduersus Eusthatium Sabastenum Episcopum datis Epistolis, qui cum Eudoxianis Spiritus Sancti Deitatem negabat: item in lib. de Spiritu Sancto ad Amphiloichium, qui liber totus in hoc vno versatur, quem

Nam 2

que

que etsi Basilio temere quidem aliqui Nouatorum eripiunt, adtribuunt tamen constantissime non Nazianzenus tantum, Hieronymus, Theodoretus, Damascenus, Suidas, alique plurimi; sed ex Aca-
tholicis Isaacus Casaubonus (2), et Guillelmus Caucus cum aliis bene multis.

His autem quae pro fide Trinitatis Basilius scripsit, addenda sunt praecleara eius pro eadem fide facinora: illud praesertim, quod quum Eustharius ille Sabastenus Episcopus iunctus Eudoxianis coepit Spiritus Sancti impugnare diuinitatem, Basilius sese ab antiqua hominis amicitia seiunxit, eumque plurimis Epistolis confutauit.

In eundem scopum adducendum Gregorii Nazianzeni testimonium, qui pro Basilio dixit locupletissime, quod nulli obnoxium est exceptioni (3): »nam, inquit, quod alioquin melius, quam quibus aliis, Basilius Spiritum Sanctum Deum agnosceret, quum ex eo »perspicue constat, quod et hoc saepe de loco superiore, quoad »per tempus licebat, praedicauit, et priuatim apud eos, a quibus »interrogabatur, haud cunctanter confessus est; tum vero in suis »ad me sermonibus apertius id demonstrauit, non simpliciter hoc »adfirmans, sed quod ipsi perraro ante acciderat, sibi rem omnium »maxime horrendam imprecatus; nempe, vt ab ipso Spiritu exci-
»deret, nisi eum cum Patre et Filio consubstantialem, et honore »parem veneraretur«. Vel ergo Basilii ipsius scripta, et facta consulantur, vel Nazianzeni testimonium audiatur, integra maneat illius fides necessum est.

Hucusque pro illorum Patrum vindiciis laborauimus, qui certo poterant vindicari: vti nam et id de ceteris dicere possemus! sed ingenui Theologi est veritati parere. Ergo ad Origenem Adamantium quod adtinet, habebit ille, si superis placet, Apologistas praeclearissimos; sed et habet inuictissimos impugnatores. In qua iudiciorum varietate probabilis nobis ipsis aduersantium iudicium adparet. Ac primo, quum ex Origenis libris plura absurda prorsus et impia fuerint resecta, quomodo a se factum fatetur Ruffinus ipse (4) Origenis Assecla, aequum est ex antiquorum testimonio eius opinionem aestimare. Antiquos autem Patres pessime Origenem de Trinitate sensisse adfirmantes audiamus. Hieronymus enim loquens de Patribus Nicaenis, ait (5): »Origenem fontem Arii percusserunt«. Epiphanius

(2) Exercitat. xvi. in Baronium.

(3) Orat. xx.

(4) In Praefat. Periarehoa.

(5) In Epist. ad Auicum.

nus (6): »Arii Patrem Origenem, et aliarum haeresum radicem, et »parentem laudare non debemus«. Augustinus item (7), postquam testatur ab Origene creaturas constitui Filium, et Spiritum Sanctum, illum adserere ait: »quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus »veritas sit, Patri collatus mendacium: et quantum distant Aposto-
»li Christo, tantum Filius Patri«. Pissimus tandem Imperator Iustinianus haec habet (8): »ante omnia in ipsam sanctam, et consub-
»stantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere (Origenes), Pa-
»trem maiorem esse Filio, Filium Spiritu Sancto, Spiritum Sanctum »aliis spiritibus. Porro hoc ad impietatem suam addidit, vt dice-
»ret, non posse Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium: »ipsum Filium, et Spiritum Sanctum creaturas esse«, cet.

His antiquorum testimoniis ductus est etiam S. Thomas, et cum eo Theologorum plerique, nec non Viri de Ecclesiastica historia, et Patrum scriptis optime meriti, Petauus, Huetius, Norisius, et Natalis Alexander vt Origenem accusarent: quin et complura per eius libros sparsa, quae prauam suam de Trinitate sententiam declarant, collegit Huetius in Origenianis, et Natalis in historia Ecclesiastica descripsit. Quid vero, quod Patres alii, ac Theologi, eum tamquam orthodoxum commendent? Quod corrupta illius scripta sint? Defensores eius dicunt, vt Augustinus scribebat, »Origenem Patrem, »et Filium, atque Spiritum Sanctum vnus eiusdemque substantiae »esse, doctuisse: sed qui eius plura legerunt, contradicunt«. Hieronymus praecipuis, qui libros eius versauit adcuratissime, et multos latine reddidit, quique in secunda aduersus Ruffinum Apologia solide lateque probat, Origenis libros minime adulteratos a maleuolis fuisse, neque ab Haereticis suis respersos erroribus, sed potius a Ruffino ipso plures inde resectos errores Auctoris, et vera dogmata substituta: quod ipse Ruffinus fatetur, vt supra adnotabamus. Quae itaque ab Origenis Patronis laudantur testimonia ad veritatem exacta, parum, aut nihil ad Origenis causam conferre possunt, quum sint ex libris petita, quos interpolauit Ruffinus, vt Origenis sui, cui vehementer studebat, famae consuleret.

Quid autem si reponant Origenem Apostolica doctrina imbutum a Clemente Alexandrino, et Aumonio fuisse, eiusque testi-

(6) Ad Ioann. Hierosolymit. scribens.

(7) In Lib. de Haeresibus, cap. 43.

(8) In Epist. ad Mennam.

monia produci a S. Athanasio in lib. de Decretis Nicaenae Synodi contra Arianos? Neque isthaec meliora sunt ad Origenem excusandum: nam Origenem damnauit, etiam dum uiueret, Demetrius Alexandrinus Antistes, in quam damnationem consensit Vrbs Romae: eundem damnatum a Patribus antiquis, et ab Heracla expulsam, Theophilus adserit; immo et integra Alexandrina Synodus. Non eadem ergo censenda est eius caussa, ac eorum Magistrorum, a quibus est edoctus: siquidem et haereticorum plurimi audierunt ut Magistros Patres inculparae doctrinae, rectissimaeque fidei: id autem euenit, quod Origenes, licet a Clemente, et Aunonio imbutus, adulescentulus factus, quum ad Cathedras euectus esset, fertidissimo suo ingenio indulgeret, ac maiorum momentis, et instructioni, Platoniorum dogmata praeferebat.

Iure deinde, ac merito Athanasius auctoritate Origenis contra Arianos vitur: nam Origenes fatetur Filium esse genitum, esse splendorem paternae gloriae, esse Patri coaeternum: ceterum Verbum uti genitum, et coaeternum, ita vnum cum Patre substantia Origenem existimasse, neque verum est, neque ex verbis, quae Athanasius profert, infertur.

Demum neque Origenem suum excusare valent sui defensores, dum ad ipsius scripta nos prouocant. Quis enim plane non percipiet, quam impium illud sit, quod Tom. II. in Ioann. scribit; nempe vnum esse verum Deum, et hunc in sacris litteris intelligendum, quotiescumque *oīs* ponitur cum articulo: quando autem sine illo, significari Dei Filium, ceterosque, qui sunt Dii tantum participatione? Illud item quod addit, eos, qui Dei Filium adorant, medium tenere locum inter illos, qui Deum vniuersorum, et eos, qui Solem, Lunam, omneque Coeli ornamentum? Ea certe in libris contra Celsum saepius inculcat, repetiturque. In vanum ergo insudare nobis videtur Tournelyus (9), oleumque et operam perdere, quum haec obuia et expressa in Origenis libris sint: et licet speciosa multa adducat, ac cum eo Bullus, Aethiopen tamen dealbare haud poterunt. Opinamur itaque, his bene et attente perpensis, Origenem Arianis reuera fauisse.

Contrarium sentimus de Tertulliano idque demonstrare pergitur perfidia Arianorum inspecta. Erat autem illa negare aut Verbi aeternitatem, aut propriam ex Patre generationem, aut vnam in vtroque

(9) De Trinit. pag. 225.

que substantiam. Quod si nos demonstraremus Tertullianum tria haec adseruisse, actum erit de ipsius oppugnatione. Ad rem ergo. Sic ipse loquitur in cap. 5. contra Praxeam: »ante omnia enim Deus erat »solus ipse sibi, et mundus, et locus, et omnia. Solus autem quia »nihil aliud extrinsecus praeter ipsum: ceterum ne tum quidem solus: »habebat enim secum quam habebat in semetipso, Rationem »suam scilicet. Rationalis enim Deus, et Ratio in ipso prius, et ita »ab ipso omnia«. Et cap. 8. »Sermo ergo, et in Patre semper, »sicut dicit, ego in Patre; et apud Deum semper, sicut scriptum »est, et Sermo erat apud Deum; et numquam separatur a Patre, »aut alius a Patre, quia ego et Pater vnum sumus«. Item in cap. 21. Apologetici sic scribebat: »hunc ex Deo prolatum didicimus, et pro- »latione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex vni- »tate substantiae«. Et in cap. 7. contra Praxeam: »haec est nati- »uitas, inquit, perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit, conditus »ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae. Dehinc genera- »tus ad effectum cum pareret Coelum«. Demum haec cap. 15. verba profert. »Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paraclito, tres »efficit cohaerentes alterum ex altero, qui tres vnum sint, non vnus: »quomodo dictum est: ego et Pater vnum sumus, ad substantiae »vnitatem, non ad numeri singularitatem«. In lib. etiam de Pudicitia cap. 21. »Trinitatem vnus diuinitatis, Patrem, Filium et Spi- »ritum Sanctum profertur«. ;Poterunt aperta aliqua produci pro propugnandis Filii aeternitate, generatione, diuinaque natura?

Ad haec vero quid noui Ebionitae, Clericus etiam ac Iurieu reponunt? ;Quae ipsius loca adducunt? Ipsum, ait Clericus (10), docere, Dei Verbum paratum quidem ab aeternitate, sed accepisse substantiam, genitumque fuisse dumtaxat, quando Deus vniuersum condere instituit: tum, e corde Patris Filium profusum, sicut frutex a radice, fluuius a fonte, radius a sole: hinc non eandem, sed patrem cum Patre habere substantiam, et hanc in varios gradus secari: atque pro his probandis verba Tertulliani refert, quae post confessionem Fidei, quam Praxaeae opponit, scribit Tertullianus ipse cap. 11. sunt haec: »tres autem non stratu, sed gradu, nec sub- »stantia, sed forma«, cet. Adducit quoque haec alia cap. 6. posita: »vt primum Deus voluit ea, quae cum Sophiae ratione, et ser- »mone disposuerat intra se in substantias, et species edere; ipsum »pri-

(10) In Hist. Eccles. ad ann. CLXXXIV.

» primum protulit Sermonem habentem in se indiuiduas Rationem et
 » Sophiam, vt per ipsum fierent vniuersa, per quem erant cogi-
 » tata, atque disposita, immo et facta iam quantum in Dei sensu«. Et paulo post, Sermonem, inquit, » habere substantiae proprietatem,
 » vt res, et persona quaedam videri possit«. Cap. etiam 17. vbi
 » explanat Verbi prolationem exemplo fructicis e radice prodeuntis, flu-
 » uii manantis a fonte, radii a face: » quae species, ait, sunt para-
 » bolae earum substantiarum, ex quibus prodeunt«. Ex lib. deinde tr.
 » contra Marcionem illud sumitur, quod in eo Tertullianus Patrem in-
 » visibilem facit, at non Filium, quem ab initio conuersatum dicit,
 » congressumque cum Patriarchis: atque quod paullo difficiliter ceteris
 » explicatu est cap. iii. lib. contra Hermogenem, in quo Patrem ac
 » Iudicem non semper Deum fuisse pronuntiat his verbis: » quia
 » et Pater Deus est, et Iudex Deus est: non tamen ideo Pater et
 » Iudex semper, quia Deus semper: nam nec Pater potuit esse an-
 » te Filium, nec Iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cum et
 » delictum et Filius non fuit, quod Iudicem, et qui Patrem Domi-
 » num faceret«, cet. Haec Clericus vt Tertullianum Arianis accen-
 » sèret, congressit, quem ex Catholicae communionis Theologis sequen-
 » tur est Petavius (11).

Nec tamen his adduci veri amans prudensque debet, vt pra-
 » uam de Trinitate sententiam Tertulliano adfingat. Num enim, vt
 » a primo initium respondendi faciamus, crasso adeo, pudendoque er-
 » rore laborasse illum dicemus, vt Deitatem, quam non semel in tribus
 » Personis vnã, vnicam, gradus non habentem adfirmavit, secti-
 » lem, ac in plures partes, quarum vnã nascendo Filius accepit,
 » diuiduam existimari? Ipse Tertullianus sui interpret est ibidem cap. 17.
 » scribens: » dum alius qui generat, alius qui generatur; alius qui mit-
 » titur, alius qui mittitur; alius qui facit, alius per quem facit; non
 » diuisionem significauit, sed dispositionem«, id est, originem. Ter-
 » tulliani itaque dicti quae sententia? Durum certe illud quidem,
 » minusque castigatum est, vt eiusdem non pauca; sanum tamen et
 » erroris expers. Designare enim vnice voluit Patrem ingenitum, et
 » totius Deitatis fontem et principium, Filium genitum, cuius a Pa-
 » tre origo est, et principium de principio: Patrem propterea totam
 » habere dicit Deitatis substantiam, Filium vero portionem, quod quae
 » in Filio est Deitas, vna, eademque, quae Patris, illi a Patre sit com-
 » mu-

(11) Lib. 1. Theolog. Dogm. de Trinit. cap. 5.

municata. Itaque nomine gradus, formae et speciei; non potest Ter-
 » tullianus designare nisi ordinem personarum; quum naturam, siue sub-
 » stantiam, vnicam dicat semel iterumque. Neque Praxeas ipse agno-
 » uit in Deitate pluralitatem relationum, saltem ad terminum substan-
 » tialem; alias tenuisset dogma Catholicorum: sed adstruit relationem
 » fictitiam, non Personarum subsistentiam; qualem proinde Tertullia-
 » nus graduum distinctione designat.

Secundo vt occurramus, haud diffitemur durã nimis haec esse, quae
 » Tertullianus profert, aspera, obscura, et quae afferre multum dif-
 » ficultatis possunt; negamus tamen ea fore, quae persuadendi vim ha-
 » beant vere Tertullianum errasse. Quod vt plenius pateat duo praemittimus
 » lucis plurimum dicendis allatura. Primum: neminem late-
 » re Praxeam vnã in Deo, vt naturam, ita et personam constituis-
 » se, et quantilibet veram Personarum distinctionem pernegasse; quod
 » falso putaret non posse hanc adstrui sine substantiae partitione, ne-
 » que personas tres poni, quin tres Dii ponerentur. Hoc est quod Ter-
 » tullianus impugnare debuit, vel contra Praxeam non pugnaret. Se-
 » cundum: nedum Tertullianum, sed et alios aliquot Ante-Nicaenos
 » Patres consueuisse geminam Filii ante mundi huius exordia genera-
 » tionem distinguere; vnã, qua Pater se, et diuina omnia perfec-
 » tissime intelligens, Verbum intra se concipit, productique, quam
 » quidem generationem sempiternam esse fatentur omnes; alteram,
 » quam minus proprie, minusque exacte generationem vocant, Diui-
 » ni Verbi prolationem, seu exteriorem manifestationem, quae et ge-
 » neratio ad effectum a Tertulliano, aliisque dicitur, quando scilicet
 » Deus Verbo virtutis suae, quod intra se ex aeternitate concepit et
 » genuit, mundum extra se molitus est, et molitione hac aeternum
 » mentis suae partum, qui ab aeterno apud Deum, et intra Deum
 » erat, extra se protulit. Secunda hac animaduersione Cl. Bossuet in-
 » iquissimum Iurieu de veterum Patrum doctrina iudicium infringit: ea-
 » demque nos illius, aliorumque eiusdem farinae hominum ora obtu-
 » ramus in his quae contra Tertullianum inculcant.

Dum enim Verbi prolationem in rerum creatarum genesi minus
 » proprie generationem adpellat, inã sempiternam, naturalem, et ve-
 » ram eiusdem e Patris substantia generationem excludit? In ipsum quod
 » obiciunt testimonium oculos, animumque paulo attentius aduersa-
 » rii coniciant; neque enim alio opus est ad germanam Tertulliani
 » sententiam percipiendam. Deum ait, quum primum voluit ad extra

condere quae ab aeterno cum Verbo suo disposerat intra se, »protulisse Sermonem seu Verbum, vt per ipsum vniuersa fierent, per quod in Dei sensu iam erant cogitata, disposita, immo facta: si ergo creaturae factae sunt per idem Verbum ac Sermonem, a quo ab aeterno fuerant dispositae, profecto ab aeterno extabat hoc Verbum, hic Sermo: atque quod genitus sit »ad effectum«, seu prolatum ad operis molitionem, non excludit natiuitatem perfectam »Sermonis ad cogitatum«, scilicet in sinu Patris, Tertulliano ipso iudice. Ceterum dum Sermonem hunc seu Verbum generatum ad effectum habere inquit substantiae proprietatem, vt res et persona quaedam videri possit, minime sentit, ante initia rerum caruisse illud proprietate substantiae, vel rem per se subsistentem seu personam non fuisse: hoc vnum significare vult Tertullianus Verbi huius conditi, seu geniti a Deo »primum ad cogitatum, in nomine Sophiae« ex aeternitate, ac intra Patrem absconditi manifestationem externam: per Sermonem enim suum, seu Verbum, quod ex ipsa sua substantia Pater ab aeterno genuerat, seu per exemplarem, efficientemque causam omnium, vniuersitatem rerum in principio molitus, infinitam Verbi sui efficacitatem ac virtutem palam ostendit. Mirandum vero manifestationem huiusmodi generationem a Tertulliano dici, quemadmodum D. Thomae non semel animaduertum est, quandoque esse et fieri res dicuntur, quum illae manifestantur? Mirum ne et Paullus Actor. xiii. ad resurrectionem Christi adstruendam illud Psalm. ii. vsurpat »Filius meus es tu, ego hodie genui te«, resurrectionem ipsam generationem vocans, seu, vt scite explicat D. Thomas, »aeternae generationis progressionem«, quia Christi Deitas, quam a Patre habuit semper, quippe ex aeternitate vere ab eo natus, Resurrectione potissimum nota facta est, maximeque perspecta? Non aliud itaque Tertulliano propositum fuisse locus ipse satis superque indicat: nam et in eo generationem illam sempiternam commemorat dicens: »Filius factus est primogenitus, vt ante omnia »genitus«, cet. ac de Verbo propter aeternam a Patre originem dici obseruat: »ante Luciferum genui te«, et »ego hodie genui te«.

Exempla autem fructicis, fluiui, radii ab ipso adhibita ostendunt Sermonem, seu Filium, non aliunde, non ex nihilo, sed ex ipsa Patris substantia esse progenitum. Quod si haec in Tertulliano culpare aduersarii velint, inferantque diuersas ab eo substantias Patris et Filii his comparationibus significatas, culpare quoque poterunt,

quum

quin et debebunt Patres illos, quos in confutanda haeresi Ariana vehementissimos fuisse agnouimus, quum ad explicandam Filii a Patre aeternam originem haec ipsissima exempla adduxerint. Ergo exempla isthaec nec generatim, nec omni ex parte congruere aestimandum est: alioquin non rerum analogia et similitudo tantum, sed vt vocant, rerum identitas inferretur. Quid et Tertullianus ipse maximum inter allatas comparationes et Dei Sermonem innuit discrimen, dum illas adpellat »substantiarum probolas«, siue emissiones, atque propagines: Filium vero alium a Patre adfirmans, »personae, non substantiae nomine«, et se tenere dicens, vbique vnam substantiam in pluribus cohaerentem?

Quod deinde obicitur ex 2. contra Marcionem id euincit tantum, Filium scilicet, apparuisse olim, non vero Patrem, quoniam ad Filium, et non ad Patrem legis dispensatio, vt Oeconomia spectabat: atque id non obscure innuit Tertullianus ipse dicens, Filium ab initio conuersatum, quia hunc Pater »proferendo Filium fecit, et exinde omni dispositioni suae, voluntatique praefecit«.

Loci demum Tertulliani quod ex lib. contra Hermogenem opponitur, non vna est apud Theologos explicatio. Nobis probatur maxime illorum responsio, qui Tertulliani dictum sic interpretantur: Patrem nimirum vere ex aeternitate Patrem fuisse, quia »numquam«, vt ille ait, Deus intelligens sine Verbo, et rationalis sine »ratione«; non tamen semper fuisse Patrem manifestum, ac notum; quum enim nondum res creatae esse coepissent, mysterium hoc erat omnino intra Deum latens, et tunc vnice patuit, quum aeterna haec Filii generatio et Angelis et hominibus manifestata est.

Est et altera interpretatio eorum qui exponunt, Deum non semper fuisse Patrem, quia non semper fuerunt, quos sibi filios adoptaret: spectabat enim ibi Tertullianus ad demonstrandum, plurimum interesse inter haec nomina *Deus*, *Dominus*, *Pater*, *Iudex*, quum *Deus* nomen naturae sit a quouis respectu et ordine ad aliud liberum absolutumque, cetera vero nomina potestatis sint, et respectum habeant ad aliud: neque enim intelligi sine Filio Pater, sine seruo Dominus, sine delicto Iudex possunt: quare vt Hermogenem, cuius erat insana adsertio, materiam nempe ingentiam, infectamque esse, et Deo coaeternam, refutaret; probandum sumit Tertullianus, Deum quidem semper fuisse Deum, quia hoc nomen, quod naturae est, Deo semper conueniat; non autem semper Patrem, Dominum, ac Iudicem,

Oo 2

cem,

cem, eo quod non nisi tempore coepissent ea, quorum esse, diciturque Pater, Dominus, et Iudex posset. Solum itaque exclusit Tertullianus a Deo respectum sempiternum ad aliquid, quod diuersae ab eo esset naturae, cuiusmodi erat materies ab Hermogene confictas non vero ad terminum intra se manentem, sibi consubstantialem, nimirum ad Verbum suum: quod, cum ex aliis ipsius testimoniis, tum praesertim ex cap. 17. lib. contra Praxeam constat: sic enim scribit: »et nomen Patris Deus Omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israel's, qui est, quatenus ita Scripturae docent: haec »dicimus, et in Filium competisse, et in his Filium venisse, et in »his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse: omnia inquit, Patris mea sunt«. Si ergo omnia quae sunt Patris semper habuit Filius, aeternitatem quoque habuerit necessum est. Filius igitur ab aeternitate Patrem habuerit, et Deus ex tunc huius Filii Pater fuerit oportet. Atque si non semper Pater, vt semper Deus, non ad Verbum, sine quo numquam fuit, sed ad extranea diuersam a Deo naturam habentia, Tertulliani dictum referendum est.

Hoc pacto pro Tertulliano decertatum a nobis sit, vt eum ab hoc, quod aduersus Fidem Trinitatis pugnat, errore purgaremus cum Theologis Clarissimis, Bellarmino, Nat. Alexandro, aliis: quam tamen de illo a nobis conceptam sententiam, probabiliozem oppositam dicere gaudemus: ne utique vero certam, vtriusque opinionis momenti hinc inde perpensis. De cetero il nos sumus, qui quum de ipsius ad Montanistas fuga, atque Antropomorphitarum impietate ageretur, hominem aduersauimus, et condemnauimus, probabiliozem sententiam amplectentes. Hucusque.

Ad Eusebium Caesariensem, cognomento Pamphilum, summae eruditionis Virum dissertationem nostram vertamus. Damnant hunc plerique, absoluunt alii. Praeclarissimus vero Theologus Ioann. Laurentius Berti (12), lectis, vt ipse loquitur, horum omnium lucubrationibus, quum grauior ipsi, quam antea visa fuerat, controuersia obliceretur, viam mediam tenere decreuit, proponendi scilicet vtriusque partis argumenta, suaque vicissim responsa, atque Eusebii fidem adhuc in ambiguo pendere demonstrandi. Hoc medium sane cordatissimum, et nos amplectimur, vt egregium in hisce rebus libratumque Theologi iudicium commendemus, atque vt homines minime ingrati Berti

(12) De Theolog. Discip. Lib. viii. cap. 11.

tio nos deamus, cui tantopere debemus. Itaque qui stant pro Eusebio Scriptores, Molinaeus, Cauaeus, Zanchius, Valesius, Periddidier, aliique, haec praecipue argumenta producant. Primum desumunt ex ipsius scriptis, in quibus sex diuinitatis characteres adinueniuntur. Nam primo, etsi saepe Patrem solum adpellat Deum, quatenus solus Pater principio caret, estque fons totius Deitatis, tamen de Filio sic loquitur: »Deus est ac Dominus, similiter atque Pater, et Dominus ac Deus, quomodo per Scripturas vniuersas annunciat. Ita in Lib. 1. de Eccl. Theolog. cap. 20. Filio quoque omnipotentiam, infinitatem, et gloriam miraculorum tribuit in Lib. 1. et 11. contra Marcellum. In viii. deinde demonstrationis Euangelicae cap. 2. recitato de Christo insigni loco Michaeae: »et egressio eius a diebus aeternitatis«, haec habet. »Quod ab aeterno existat, cui est adcommodandum nisi soli Deo? Accedit quod in 11. de Eccl. Theolog. cap. 4. Filium dicit *deus deus*, id est Deus a se ipso, seu Deus ipsissimus substantia, non participatione: eundem esse Filium Dei naturalem, vniuentum, non adoptatum, lib. 1. contra Marcellum scribit: atque in generatione Verbum eandem Patris recipere naturam et Deitatem, expressissime fatetur Eusebius in 1. de Eccl. Theolog.

Secundum argumentum ex eo ducunt, quod occidentales omnes, vno excepto Hieronymo, de Eusebio honorificentissime loquuti sunt; et illum Romani Pontifices tanquam Orthodoxum agnouerunt, atque iudicium istorum Patribus, Synodi secundae Nicaenae videtur praefereudum. Verum et huius Synodi acta Eusebio fauent: si enim istius Synodi fidei reuera Eusebius subscripsit, quo titulo inter haereticos adnumerabitur? Renituit ille quidem subscribere, quemadmodum et alii piissimi, et sanctissimi initio respuerant, *Homouision*; non quod consentiret Arianis, sed quod Sabellianis aduersaretur, inde naturae diuinae scissionem inferentibus.

Vltimo loco congerunt et veterum testimonia, Socratis nempe, Theodreti, Gelasii Cyziceni (13), aliorumque multorum; et cultum quo plurimi Eusebium tanquam Sanctum venerati sunt, de quo multa apud Berti (14). Haec Eusebii defensores: quibus similia accusatores, Baronius scilicet, Peraulus, Alexander, Clericus repopunt. Ac primo quidem ex Eusebii scriptis sic ratiocinantur: Lib. vii.

Præ-

(13) In Hist. Eccles. lib. 1. cap. 8.
Lib. 1. cap. 11. Lib. 11. de Sy-

nodo Nicaena cap. 1.
(14) Lib. viii. cap. 11.

Præpar. Euang. cap. 5. adpellat Filium, » secundam substantiam a » primo principio conditam «; Itemque » principium alterum a primo «, diuinitatem in plures gradus distinguens. Similiter demonstr. Euang. lib. iv. cap. 3. Filium splendorem soli coexistentem dicit, ipsum tamen magis a Patre diuellit, quam lucem a sole. Verbum deinde vocat artificem, opificium Patris, secundum dominum, basim, et fundamentum creaturarum, quæ futuræ erant, lib. eodem, et i. de Eccl. Theologia. Tandem in i. contra Marcellum Filium non Deum, sed Dei vnigenitum ponit, ac Mediatorem illum esse inter Deum et Angelos dicit, etiam inspecta natura, quam ante Incarnationem habuit a Patre: Patremque et Filium vnum tantum esse tropica voluntate vnitione.

Ex Eusebii quoque ad Caesarienses Episcopos Epistola hæc haerent: illum profiteri se recepisse voces, *ex substantia Patris, consubstantialis Patri*, aliasque similes, quatenus Filium significant, ex Patre quidem esse, sed non Patris portionem, quod et admittunt Arianæ, seque idem credere quod antea crediderat.

Deinde ex Synodo vii. Oecumenica argumentantur, quæ Act. v. Eusebii ipsius loco adducto, in quo vsum Sacrarum Imaginum damnat, declarat Eusebii rationes fœcci faciendas, tamquam hominis in reprobum sensum traditi, et eiusdem cum Ario opinionis. Act. item vi. clamant Patres, quod Eusebius in Nicaena Synodo labiis veritatem honorauit, animus vero longe ab ea aberat, vt ostendunt eius scripta, et Epistolæ omnes, et mansit vt Aetiops, minime mutata cute sua.

Vltimo adducunt Veterum contra Eusebium testimonia, Athanasii scilicet, Hieronymi, Epiphani (15), aliorumque; atque ipsius ingenium, ac res gestas, potissimum in Arianorum laudem, et commendationem.

Harum itaque sententiarum momenta se mutuo destruant, suntque sibi inuicem responsa, quin plus ponderis his quæ contra Eusebium sunt, quam aliis insit; adeo vt illius fides adhuc in ambiguo pendeat.

Quando autem ad Liberii Papæ fidem perscrutam ordi dissertationis nos duxit, vt id quod sentimus, candide fateamur, tædet questionem Theologorum, Historicorum, ac Criticorum immensis disputationibus tritam reproducere, et sexcenties dicta regerere: hoc

(15) In Lib. de Decret. Nicaenæ Synod. = Lib. i. Apol. cap. 2. = Haer. lxxviii.

hoc vnum commonere lectores nostros, eisque notum facere volumus, adeo inter se de re ista pugnantia homines eruditissimos scripsisse, vt laterem lauare tentent, qui eos in concordiam vocare student. Quibus autem subscribendum sit, quum summi omnes fuerint, ac primi ordinis sapientes, haud definire audeamus. Fuerunt ergo variae istae, ac multiplices illorum sententiae. Pagius ad annum 357. tertiam Sirmiensem formulam probasse Liberium docet: subscripsisse illum secundae formulae, inquam haereticae, tenet Blondellus in lib. de Primatu Papæ, Cl. Bossuetius in defensione declarationis Cleri Gallicani, quorum sententiam probabiliorum dicunt Recentiores ferre omnes, ac communiter e Gallis bene multi; quamque ex parte adaptauit Petauus (16): contendit enim, non integram, sed mutilatam Ecchesim illam Liberio a Demophilo exhibitam, ab eoque receptam in ea tantum parte, quæ *Homousion* supprimit, non in ea quæ Filium Patri subicit. Natalis demum Alexander, Touraely, Iuenin, aliique, quos inter PP. Benedictini, docent, Liberium primæ formulae contra Photinum editæ subscripsisse. Cuique autem liberum sit vnam ex his seligere opinionem, quam maluerit; per nos licet: rectius tamen vel nobis consulentibus illas omnes in examen vocabit; memor, inter adiaphoras controuersiam istam positam esse, atque Theologi nomen haud mereri eos, qui pro illa, velut pro fidei dogmate, ad sanguinem vsque et internecionem digladiantur. Atque de Liberio tantum.

Quoniam vero et de Hosio Cordubensi Episcopo Hispaniae nostrae ornamento summo, cuius est in vniuersa Ecclesia nomen spectatissimum, Recentiorum plerique agere solent, pauca et nobis de illo visa sunt subicienda. De eius fidei rectitudine, animique constantia quando Sirmium venit necessitate coactus, et inuitus, aetate centenarius, septingentarum leucarum itinere fessus, stante etiam eorum industria, qui tantam Venerabilis Antistitis senectam male exercitam habuerunt, extat Cardinalis Aguirre Dissertatio, quæ secunda est in Tomum alterum Conciliorum Hispaniae, in qua sic ea narrat, quæ eius lapsum spectant.

Haud diffitetur auctor eminentissimus Hosii in Arianam perfidiam consensionem: extenuat tamen, atque in dubitationem adducit. At, inquam, quod oculi Senis caligauerant, et mentis deliquium subierat: id quod contigisse homini tanta aetate grauato proba-

(16) In Obseruatione ad Epiphanium.

habile est quidem, sed eum mentis compotem ostendunt verborum, plagarumque ad tempus tolerantia: hinc imbecillitate corporis, non mentis deliquio peccasse videtur. Quin et Hilarium, qui procul a Sirmio aberat decipi potuisse famae rumore addit, formulamque, qualem Hilarius narrat, debuisse Semi Arianis displicere; ideoque ab eo adulteratam referri. Addit et alia. Et quamuis isthaec omnia ab his qui sententiam oppositam tuentur, adposite soluantur, non tamen his meliora sunt, quae ipsi adducunt: immo et Athanasii, Hilarii, Epiphani, Socratis, et Theodoretii dicta quam facillime in sensum ab Aguirre expressum trahi poterunt, scilicet, *ad horam* cessisse Arianis Hosium, imbecillitate quidem corporis, non deliquio mentis. Verbo: quum in aequali testimoniorum discrepantia sint fauorabilia oppositis praeferenda, optimo ac laudabili consilio a Card. Aguirre factum esse iudicamus, vt tanti Viri famae, atque Hispani nominis gloriae consuleret. Dabunt itaque nobis veniam Recentiores Critici, si malumus cum Aguirre, quam cum ipsis in tenebris sedere. Neque deinde possumus serena fronte Vasaei, Marianae, aliorumque hispanicarum rerum scriptorum elucubrations euoluere, atque in eisdem Sanctissimum Hosium in impietate Ariana defunctum legere: quin miramur sane homines summos, itemque Hispanum alterum in hanc abire sententiam. Sed homines sunt, ne quid amplius dicamus.

Quam vero Card. Aguirre adornauit sententiam, eandem ad metam vsque perduxit Cl. Henricus Florezius Frater Eremita Augustinensis, Vir in rebus sacris hispanicis euoluendis, illustrandis, atque in ordinem suum locandis diligentissimus, oculatissimus, fidiissimus. Neque enim eo contentus est, vt Hosii lapsum extenuet, sed vltra progreditur, vt a crimine per summam Arianorum inuidentiam ipsi tributo, purget penitus, ac vindicet. Vicerit ille nec ne, iudicabunt alii: nobis interim omnimode probantur, ac decretoria habentur quae legimus. Ipsum adeat cui plus otii datum est vt haec quaeratur, quam nobis vt eadem fuse tradamus (17).

CA-

(17) Tom. x. Tract. 11. cap. 5. a n. 9. per totum.

CAPVT IX.

Eorum argumentis occurritur, qui Patrum fidem labefactare sunt conati. Ac primum quoniam illi sue rint perhibetur.

Quae fuerit Ecclesiae fides, atque doctrina erga personarum Trinitatem in vnitatem essentiae a Christo Domino Apostolis tradita, et ab Apostolis ad Discipulos suos perenni successione traducta, atque qua puritate ad Nicaeni 1. Concilii tempora permanerit, Augustini grauissima auctoritas nos edocet. Scribit enim (1): »omnes quos »legere potui, qui ante me de Trinitate scripserunt Catholici Trac- »tatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, »et Filius, et Spiritus Sanctus vnus, eiusdemque substantiae inse- »parabili aequalitate diuinum insinuant vnitatem«, cet. Tamen Petrus Iurieu Caluianus Minister adeo proeac ac temerarius fuit, vt in *Tableau des Socinianisme* totus sit in probando aliam prorsus de hoc Mystero Antenicaenorum Patrum fuisse sententiam, longeque aliud olim in Ecclesia creditum, quam quod a Nicaeno Concilio definitum fuit. Eo enim iudice veteres omnes Ecclesiae Magistri miserii sunt, insulsique Theologi, e Platonis magis, quam e Christi Schola politii, quorum non est nisi prope terram palustrium auium instar, volatus, nec nisi praua, et absurda de Personarum diuinarum aequalitate sententia. Huic autem impudentissimo Sanctorum PP. accusatori praeuere, aut se adiungere alii, praesertim Sociniani omnes, Clericus, Wolzogenius, Caucus, Crellius, Noui Ebionitae, ceteri: ac quod sine lacrymis vix queo dicere, Nostratum nonnulli, quos inter Petauius vnus est, qui adeo licentissime id fecit, vt piorum omnium, doctorumque hominum censuram hac in re iure meritoque sustinere sit coactus: quandoquidem trium priorum Ecclesiae saeculorum Patres Arianismi Fautores describit. Extat iudicium Cl. Simonii, quod ex Dictionario Ecclesiastico eisdem quibus scriptum est verbis, atque idiomate (2), transcribere placet, vt lectores nostros in Petauio legendo cautos reddamus. »S' il y a quelque chose a »reprendre dans les livres de Pétau, c' est principalement dans le »second tome de ses dogmes theologiques, où il paroît favorable
Tom. I. Pp. »aux

(1) Lib. 1. de Trinitate, cap. 4.

teurs Ecclesiastiques pag. 28. Mot Pe-

(2) Dictionaire Historique des Au-

tau, Tome quatrieme.